

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. X - N. 1

1978

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1978

Decimo Anno

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutio ad Sacram Romanam Rotam	5
Allocutio ad quosdam Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis	11

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Episcopis

De titulo tribuendo Episcopis officio renuntiantibus	18
--	----

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Litterae circulares ad Archiepiscopos et Episcopos Dioecesanos	19
Epistula Exc.mo ac Rev.mo D. Quinn	20
Epistula Em.mo ac Rev.mo D. Card. Salazar Lopez	21

Pontificia Commissio de Spirituali migratorum atque itinerantium Cura

Decretum	23
Normae	24

COMMISSIO	33
---------------------	----

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in apparandis Canonum Schematibus

I. Coetus studiorum de Sacramentis

Titulus IV: De Sacramento Paenitentiae	47
Titulus II: De Confirmatione	74

II. Coetus studiorum de Iure Matrimoniali 86

Notitiae	128
--------------------	-----

Can. 147 (CIC 884)

Absolutio complicitis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

Non videntur acceptandae animadversiones in consultatione prolatae et textus probatur uti est.

Can. 148 (CIC 886)

Si confessarius non dubitet de paenitentis dispositione et hic absolutionem petat, absolutio ne denegetur nec differatur.

Omnibus rite perpensis, acceptatur suggestio eorum qui desiderant ut canon iste transferatur post can. 151, sed textus manet probatus uti est.

Conventus dd. 14-19 novembris 1977 habiti


Can. 149 (CIC 894)

Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ecclesiasticam denuntiasse de crimine sollicitationis ad peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem formaliter retractaverit.

Consideratis observationibus ab organis consultatis prolatis, placet ut tantum de damnis reparandis sermo institatur et non de auctoritate apud quam retractatio facienda est.

Relator tenet obligationem quam paenitens habet sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione denuntiandi ad Paenitentiam non pertinere, dum alius Consultor tenet hic non agi de sexto sed de honore ipsius sacramenti Paenitentiae.

Aliquis Consultor quaerit rationes ob quas abolitio can. 904 CIC facta est, quia praecise in illo canone agebatur de obligatione ex parte paenitentis sacerdotem reum denuntiandi. In relatione Sessionis VIII, habitae dd. 8-13 novembris 1971, haec quae sequuntur de re notantur:



Ad can. 904 CIC

Unus Consultor aestimat quod retineri non debet: confessarius non potest obligare ad denuntiandum, sed monere, consulere tantum. Alter Consultor loquitur de difficultate obtinendi denuntiationem. Relator respondet quod non sunt miscenda quae ad forum conscientiae et quae ad forum sociale pertinent. Concordant omnes ut supprimatur canon, quia est quaestio theologiae moralis.

Iuxta alicuius Consultoris sententiam obligatio ex parte paenitentis accusandi sacerdotem reum de sollicitatione non habetur et quaeritur num necessarium sit ut haec obligatio adiungatur. Consultor, a quo quaestio mota est, anceps est quia revera causa, qua requirebatur canon, non cessavit, sed tamen Sacra Paenitentiaria Apostolica nihil hac de re in suis animadversionibus notavit. Unus Consultor tenet necessarium non esse obligationem denuntiationis adiungere, cum ablata sit reservatio peccati falsae denuntiationis de sollicitatione, sed anceps manet. Etiam alii Consultores ancipites sunt, et omnes conveniunt ut res denuo consideretur.

Neque videtur necessarium adiungere verba *apud eandem auctoritatem post nisi prius falsam denuntiationem*, quia sufficit verbum *formaliter* prout est in textu.

In fine disceptationis omnes conveniunt ut post *retractaverit* adiungatur *et paratus sit ad damna, si quae habeantur, reparare*.

Can. 150 (CIC 888 § 1)

Sacerdos, utpote misericordiae simul ac iustitiae divinae minister a Deo constitutus, animo pastoralis semper confessiones excipiat, ut quam maxime honori divino animarumque saluti consulat.

Observationibus in consultatione factis rite consideratae, Relator tenet canonem supprimi posse, vel poni uti initium can. 136.

Aliquis Consultor, e contra, valde dubitat de opportunitate canonem transferendi, quia in textu de obligatione deque modo excipiendi confessiones agitur et hic est locus proprius. Consentiunt alii Consultores ut textus suo loco maneat.

Uni Consultori valde displicet in textu locutionem, quae in Codice inveniebatur, nempe *meminerit sacerdos ... se iudicis pariter et medici personam sustinere ac ...* (can. 888, § 1) sublatam esse et hoc praecise propter ipsum characterem istius sacramenti. Multum disputatur hac

de re et suffragatione peracta maior Consultorum numerus stat pro introductione in textu verborum ipsius Codicis. Quapropter textus est:

Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat.

Propositio unius Universitatis, attenta peculiari huius sacramenti natura, addendi nempe § 2 in qua dicatur *Confessarius, utpote minister Ecclesiae, in administrando sacramento, fideliter adhaereat doctrinae Magisterii et normis a competenti auctoritate latis* accipitur. Et hoc praecise quia sacerdos in excipiendis confessionibus minister Dei et Ecclesiae est. Unus Consultor praeferret ut hic textus in canonibus generalibus ponatur. Alii tamen tenent magis practicum esse hic textum ponere. Suffragatione peracta, maior pars Consultorum tenet hoc loco textum servandum esse.

Can. 151 (CIC 888 § 2)

Sacerdos in quaestionibus ponendis maxima cum prudentia et discretionem procedat, attenta quidem condicione et aetate paenitentis, abstineatque a quaestionibus quae ad aliarum personarum peccata unice attinent.

Relator notat duo in canone contineri: I) quod sacerdos cum prudentia in quaestionibus ponendis agat; II) abstineat ab inquirendo de complice et de aliarum personarum peccatis; et quaerit num canon delendus sit vel minus.

Unus Consultor tenet in textu a Commissionem parato nomen complices exclusum manere a prohibitionem ipsius canonis; eidem insuper ultima canonis verba *a quaestionibus* ... non placent. Idem sentit alius Consultor qui proponit ut post *abstineatque*, loco *a quaestionibus* ..., dicatur *a nomine complices inquirendo*. Placet quoque aliis. Ex propositione eiusdem Consultoris tollitur etiam adiectivum *maxima*.

Can. 152 (CIC 887)

Pro qualitate et numero peccatorum, habita tamen ratione paenitentis condicionis, salutare et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas paenitens per se ipse implendi obligatione tenetur.

Animadversionibus attente consideratis, omnes Consultores conveniunt ut textus schematis remaneat prout est; tamen unus Consul-

tor praeferret ut formula quae in Ordine Paenitentiae invenitur uteretur. Sed positis suffragiis, maior Consultorum pars praefert ut textus remaneat.

Can. 153 (CIC 889)

§ 1. *Sacramentale sigillum inviolabile est; quare gravi obligatione tenentur confessarius itemque, si detur, interpret, ne verbo aliove quovis modo et quavis de causa prodant aliquatenus paenitentem.*

§ 2. *Gravi obligatione secretum servandi tenentur quoque omnes alii ad quos ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenerit.*

Animadversiones in consultatione ad hunc canonem prolatae admittuntur ideoque in § 1 supprimuntur verba *itemque, si detur interpret*, quia solus sacerdos est minister sacramenti et eius obligatio ad secretum maior est, quae tamen in § 2 adduntur, et textus sic erit: *Gravi ... quoque interpret, si detur, necnon omnes ... pervenerit.*

Can. 154 (CIC 890)

§ 1. *Omnino prohibetur confessario usus scientiae ex confessione acquisitae, cum paenitentis gravamine, etiam quovis revelationis periculo excluso.*

§ 2. *Auctoritas quaelibet notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti potest.*

Animadversionibus ad § 1 rite consideratis, textus remanet prouti in schemate, demptis commatibus.

Ad § 2: Reicitur observatio quae opportunum iudicat exceptionem forsitan addere quando in certum et evidens beneficium paenitentis est, quia nemo rem iudicare potest et satis periculosa est.

Proponente aliquo Consultore, cum verbum *auctoritas* nimis abstractione sapiat, substituitur cum verbis *confessarius qui auctoritate pollet*. Unus Consultor mallet verbum *Superior*, sed contradicit Relator, qui dicit verbum *Superior* non amplius in nostra terminologia retineri. Ipse Relator proponit locutionem *qui in auctoritate est constitutus*. Facta suffragatione, maior pars Consultorum stat pro locutione proposita a Relatore. Cadit etiam verbum *quaelibet*.

Can. 155 (CIC 891)

Magister novitiorum eiusque socius, Moderator Seminarii aliusve Instituti educationis sacramentales confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni in casibus particularibus sponte et libere id petant.

Omnes conveniunt ut verba *et libere* supprimantur.

Unus Consultor quaestionem movet de loco in quo haec norma inserenda est, quia magis congruum videtur rem ad canones de Institutis vitae consecratae remittere. Contradicit alius Consultor quia legislatio de Institutis vitae consecratae ut totum concepta est: hic potius quam de gubernii religiosorum norma, agitur de sacramento paenitentiae. Re disceptata, textus remanet.

Can. 156 (CIC 892)

§ 1. *Omnis cui animarum cura vi muneris est demandata, gravi tenetur obligatione providendi ut excipiantur confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter confiteri petant, utque iisdem opportunitas praebeatur ad confessionem individualement diebus ac horis in eorum commodum, statutis, accedendi.*

§ 2. *Urgente necessitate, quilibet confessarius obligatione tenetur confessiones christifidelium excipiendi, et in periculo mortis quilibet sacerdos.*

Attente consideratis observationibus latis, necnon *Praenotanda* (n. 10) *Ordinis Paenitentiae* atque normis IX, 2 et XII *Normarum S. Congregationis pro Doctrina Fidei*, omnes Consultores conveniunt ut textus remaneat prouti iacet.

Can. 157 (CIC 908)

§ 1. *Ad sacramentales confessiones excipiendas locus proprius est ecclesia aut oratorium.*

§ 2. *Quae de sede confessionalis praescribenda sint, ab Episcoporum Conferentia regionis statuatur, cauto tamen ut habeatur in loco patenti sedes confessionalis crate fixa inter paenitentem et confessarium instructa.*

Valde disputatum est de hoc Canone. Character sacer Paenitentiae, qui actus etiam ecclesialis est, postulat ut in loco praesertim sacro, tamquam maxime sibi convenienti, administretur. Adest insuper necessitas discre-

tionis, quae postulat ut identitas paenitentium ignoretur. Hac de re etiam Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis aliquid edixit in sua Plenaria diei 22 iunii 1976, ex qua mens personalis Summi Pontificis in re satis patet.

Disceptatione peracta, quoad § 1 omnes conveniunt ut textus remaneat prouti paratus a Commissione.

Quoad § 2: aliqui Consultores petunt ut dicatur sedem confessionalem cum crate fixa requiri pro mulieribus necnon pro viris qui illam exoptant, verbis utendo quae exstant in textu, vel *qua uti de more debent mulieres*, vel similibus. Post disceptationem, textus est:

Ad sedem confessionalem quod attinet, normae ab Episcoporum Conferentia statuuntur ... instructa.

Unus Consultor petit ut loco *statuantur* dicatur *statuenda sunt*, tamen contradicit Relator.

Relator quaestionem introducit de reassumenda norma in can. 910 CIC contenta, a quibusdam petita sequentibus innixis rationibus: *a) longa in Ecclesia praxi; b) iure fidelium ut non identificentur; c) prudentia infirmitatis humanae causa.*

Et textus istius novae § 3 est: *Foeminarum confessiones extra sedem confessionalem crate instructam ne excipiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas loci Ordinarius opportunas iudicaverit.*

Proponente uno Consultore, loco *foeminarum* dicitur *mulierum* et ex propositione alterius Consultoris verba *aliave verae* necnon *et adhibit*is ... *iudicaverit* supprimuntur. Textus placet.

CAPUT III

DE SACRAMENTI PAENITENTIAE SUBIECTO

Inquisitione peracta, omnes, post disceptationem, etiam ex analogia cum aliorum Sacramentorum titularum capitum inscriptione, conveniunt ut hoc caput inscribatur: *De ipso paenitente.*

Consideratis animadversionibus factis ad ordinem dicendorum quod attinet, post disceptationem, omnes conveniunt ut ordo in schemate propositus magis logicus sit, ideoque confirmatur.

Unus Consultor proponit ut aliquid de contritione dicatur vel de

dispositionibus in paenitente necessariis ad huius Sacramenti salutiferum usum. Aliqui Consultores tenent ideam sive de peccati detestatione, sive de contritione sive de conversione exprimendam esse. Post disceptationem, Relator hunc proponit textum:

Christifideles, ut sacramenti Paenitentiae remedium percipiant salutiferum, ita dispositi sint oportet ut, peccata quae commiserint repudiantes et propositum sese emendandi habentes, ad Deum convertantur.

Placet omnibus textus et erit can. 158.

Can. 159 (CIC 901-902)

§ 1. *Christifidelis gravi tenetur obligatione confitendi omnia peccata gravia post baptismum perpetrata et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat.*

§ 2. *Commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confiteantur, quae quidem materia sufficiens sunt sacramenti paenitentiae.*

Ad § 1: Valde disputatur de propositione alicuius Universitatis et cuiusdam Episcoporum Conferentiae, addendi nempe, post verbum *Ecclesiae* '*in confessione individuali*', ut clarius Ecclesiae praeceptum manifestetur, tamen in fine disceptationis, praesertim quia dici nequit *individuali* ex eo quod illa peccata directe remissa sunt etiam in confessione communitaria, textus remanet uti est.

Itemque agitata est quaestio de locutione *peccata mortalia* loco *peccata gravia*, sed textus servatur prouti iacet: res potius remittenda est ad commentatores.

Item servatur expressio *per claves Ecclesiae remissa* quia est textus clarior.

Annuitur observationi de mentione facienda quoad speciem et numerum peccatorum, quae adiunctio facienda est ante verbum *confitendi*. Placet omnibus, excepto uno Consultore sese contrarium declarante.

Attente consideratur propositio, ab una Universitate facta, cui non placerent verba *directe remissa*, quae propositio contradicit iis quae a Conferentia Episcoporum et Universitate superius notatis dicta sunt in observatione I^a. Valde hac de re disputatur et in fine disceptationis proponitur ut servetur locutio *directe remissa*, sed adiungatur expressio *nec in confessione individuali accusata*. Propositio ab omnibus probatur, exceptis uno Consultore, sese abstinente a suffragio ferendo, et altero

qui contrarium se declarat. Ergo textus probatus huius § 1 est: *Christifideles ... obligatione in specie et numero confitendi ... remissa nec in confessione individuali accusata, quorum ... habeat.*

Ad § 2: non accipiuntur observationes in consultatione prolatae quia ratio legis non cadit sub lege; imo eadem ratione, proponente aliquo Consultore, etiam delentur verba *quae quidem materia sufficiens sunt sacramenti paenitentiae.*

Can. 160 (CIC 906)

Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, obligatione tenetur peccata sua gravia saltem semel in anno fideliter confiteri.

Placet et nulla datur ad hunc canonem observatio.

Can. 161 (CIC 903)

Non prohibetur quis, si velit, quominus per interpretem confiteatur, vitatis quidem abusibus et scandalis, firmo praescripto can. 153, § 1.

Servatur, mutata tantum citatione paragraphi, quae est 2, can. 153.

Can. 162 (CIC 905)

Cuivis christifideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus cui maluerit peccata confiteri, firmo praescripto can. 2 § 2.

Textus potest remanere, demptis verbis *firmo praescripto can. 2 § 2.*

CAPUT IV DE INDULGENTIIS

Recensitis omnibus observationibus quae in consultatione prolatae sunt, Coetus convenit ut textus ad principaliores et fundamentales canones reducatur.

Can. 163 (novus)

Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis pro peccatis, ad culpam quod attinet, iam deletis, quam christifidelis, apte dispositus et certis ac definitis condicionibus, consequitur ope Ecclesiae quae, ut

ministra redemptionis, thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum auctoritate dispensat et applicat.

Consideratis animadversionibus prolatis, Consultores consentiunt ut melius sit servare textum Commissionis, qui convenit fere ad litteram cum Constitutione Apostolica *Indulgentiarum doctrina*, quae citanda est in fontibus.

Textus placet, mutato tantum verbo *auctoritate* cum *auctoritative*.

Can. 164 (novus) (qui erat 163)

Indulgentia est partialis aut plenaria prout a poena temporali pro peccatis debita liberat ex parte aut ex toto.

Magis placet textus Commissionis neque videtur necessarium adiungere mentionem de Ecclesiae intentione.

Non accipitur propositio unius Consultoris, qui vult ut loco *est* dicatur *dicitur*.

Unus Consultor sese abstinere et suffragatio est 2 contra 4. Cum tamen textus sit ille qui in Constitutione Apostolica invenitur, omnes concordant ut servetur sicuti est.

Can. 165 (novus)

§ 1. *Indulgentia sive partialis sive plenaria potest semper defunctis applicari in modum suffragii.*

§ 2. *Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis vitam praesentem degentibus applicare.*

§ 1) placet ut immutata servetur.

§ 2) Magis placet textus ab aliqua Episcoporum Conferentia propositus, qui igitur assumitur: *Quivis fidelis potest indulgentiam aut sibi ipsi lucrare, aut defunctis applicare in modum suffragii.*

Can. 166 (novus)

§ 1. *Praeter supremam Ecclesiae Auctoritatem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus haec potestas iure agnoscitur.*

§ 2. *Nulla auctoritas infra Romanum Pontificem potest facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id ei a Sede Apostolica expresse fuerit indultum.*

Ad § 1: Unus Consultor proponit ut incisum *cui totius ... dispensatio* tollatur quia redundans est. Contradicit alter Consultor qui notat incisum in Enchiridion Indulgentiarum inveniri. Tertius Consultor tenet veritatem in inciso expressam contineri iam in can. 163 et hic ponitur tantum per transennam. Disceptatione peracta, omnibus placet ut incisum tollatur. Aliquis Consultor proponit ut etiam verba *potestate ordinaria* tollantur, cui accedit alius Consultor. Contradicit tertius Consultor quia ei videtur nimis excludi hoc modo potestas delegata. Disceptatione peracta, 4 Consultores stant pro suppressione. Contrarium se declarat unus Consultor et alter sese abstinere. Ideoque verba manent suppressa.

Proponitur ut post *agnoscitur* adiungatur *aut a Romano Pontifice conceditur*, et placet adiunctio.

Unus Consultor praeferret ut loco *elargiri* dicatur *largiri*, sed alter Consultor animadvertit verbum *elargiri* in textu Enchiridion adhiberi. Placet § 2.

Can. 167 (novus) (*qui erat 166*)

Episcopus dioecesanus aliique in iure ipsi aequiparati, a capta officii possessione, ius habent:

1) *concedendi indulgentiam partialem personis in quas potestatem gratiosam exercere possunt ad normam can. ...*

2) *benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiendi in sua quisque ditione ter in anno, festis sollemnibus ab ipsis designandis.*

Omnes consultores conveniunt canonem supprimi posse cum indicatio personarum quarum est indulgentias elargiri potius ad *Enchiridion* quam ad Codicem spectet. Tantum unus Consultor praeferret ut textus pro Episcopis servaretur, caeteris ad *Enchiridion* remissis. Sed canon suppressus remanet. Itemque supprimuntur alii canones, exceptis his qui sequuntur.

Can. 167 (novus)

§ 1. *Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum.*

§ 2. *Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, habere debet intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem.*

Placet, demptis tantum in § 1 sibi et in § 2 revera.

Can. 174 (novus)

§ 1. *Indulgentia plenaria semel tantum in die acquiri potest.*

§ 2. *Christifidelis tamen consequi poterit indulgentiam plenariam in articulo mortis, etiamsi eodem die indulgentiam plenariam iam acquisiverit.*

§ 3. *Partialis vero indulgentia pluries in die acquiri potest, nisi aliud expresse statuatur.*

Canon supprimitur quia praescriptiones ibi contentae nimis particulares sunt, sed servatur § 1 quae tamen uti § 2 can. 164 ponitur. Placet.

Can. 168 (novus)

Confessarius commutare potest sive opus praescriptum sive condiciones pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeunt.

Hic canon servatur, tamen complendus hoc modo:

Confessarius commutare potest sive opus sive condiciones ad lucrandas indulgentias praescriptas, pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeunt.

TITULUS II

DE CONFIRMATIONE

Aliquis Consultor, qui expansionem observationum et synthesim fecit de omnibus quae in consultatione generali prolata sunt, necnon schema aliquod paravit pro emendatione canonum de sacramento Confirmationis, instat ut materiae partitio sequenti modo fiet: Caput I: *de con-*

firmationis celebratione; Caput II: *de officiis et ministeriis in celebratione confirmationis*: Art. 1: *de ministro*; art. 2: *de patrinis*; Caput III: *de confirmandis*; Caput IV: *de collatae confirmationis adnotatione et probatione*. Post disceptationem, ordo a Consultore propositus ab omnibus probatur.

CAPUT I

DE CONFIRMATIONIS CELEBRATIONE

Can. 40 (CIC 780-781)

§ 1. *Sacramentum confirmationis, quod characterem imprimit, et quo christifideles perfectius Ecclesiae vinculantur atque speciali Spiritus Sancti robore ditantur, eosdem arctius obligat ut testes sint Christi fidemque diffundant ac defendant.*

§ 2. *Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem, quae fit unctione chrismatis ipsa ministri manu in fronte facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta.*

§ 3. *Chrisma in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab Episcopo consecratum, etiam si sacramentum a presbytero ad normam canonum qui sequuntur ministratur.*

Ad § 1: Omnibus perlectis observationibus ad hanc paragraphum prolatis, valde disputatur de animadversione qua petitur ut mentio de characterem omittatur, sed praevallet opinio quae tenet ut servetur, quia in eius deletionem est aliqua intentio doctrinalis. Unus Consultor tenet quod omitti potest et alter animadvertit in Codice non adesse. Tamen in fine disceptationis convenitur ut mentio de characterem servetur.

Ad observationem quod attinet ut clarius loquatur de coniunctione Confirmationis cum sacramentis initiationis christianae videntur sufficere ea quae de hac coalescentia dicuntur in can. 2 § 2 canonum generalium (cf. *Communicationes*, 9, 1977 p. 334).

Valde disputatur de modo quo recipienda est observatio quae tenet ut magis insistatur in dono Spiritus Sancti, et post sat longam disceptationem omnes in sequentem textum conveniunt:

Sacramentum confirmationis, quod characterem imprimit, quo baptizati, iter christianae initiationis prosequentes, Spiritus Sancti Dono ditantur, atque perfectius Ecclesiae vinculantur, eosdem roborat

*arctiusque obligat ut verbo et opere testes sint Christi fidemque dif-
fundant ac defendant.*

Unus Consultor petit ut loco *ditantur* dicatur *accipiunt*, cui tamen contradicit alter Consultor quia non prima vice Spiritus Sanctus recipitur.

Ad § 2: animadversionibus consideratis et disceptatione peracta, omnes conveniunt ut in canone per se stante separato sermo instituat de natura istius sacramenti, reliquis ad alium canonem remissis.

Quapropter ista paragraphus fit § 1 can. 41, cuius textus, verba Constitutionis Apostolicae referens, est: *Hoc sacramentum confertur per unctionem chrismatis in fronte quae fit manus impositione, atque per verba in prolatis liturgicis libris praescripta.* Neque videtur assumendum esse textum interpretationis authenticae de hac materia a Pontificia Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis datae die 9 iunii 1972 (cf. *Communicationes*, 4, 1972, p. 117).

Ad § 3, quae fit § 2 can. 41: Omnibus rite perpensis, textus servatur, demptis verbis *ad normam canonum qui sequuntur.*

Disputatur de verbo *ministretur* quod unus Consultor, ex animadversione etiam alicuius S. Congregationis, praeferret ut suppeditetur cum *celebretur*. Huic sententiae accedunt etiam alii duo Consultores, sed reliqui sunt contrarii.

Uti can. 42 adhibetur textus qui sequitur: *Expedi ut confirmationis sacramentum in ecclesia, et quidem intra Missam celebretur; ex causa tamen iusta et rationabili extra Missam et quolibet loco digno celebrari potest.* Ad hunc textum transferuntur quae in can. 53 continentur et proinde canon 53 suppressus manet.

CAPUT II

DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN CELEBRATIONE CONFIRMATIONIS

Can. 43 (in Schemate 41, CIC 782, § 1)

Valide confirmationem confert Episcopus, huius quidem sacramenti minister originarius, itemque presbyter cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Uni Consultori non placet terminus *originarius*, etsi in Ordine liturgico invenitur, quia in nostro contextu non satis clarum est quid significet et ipse favet termino *ordinarius*. Alter Consultor etiam favet termino *ordinarius* quia *originarius* potius fontem exprimeret. Tertius Consultor explicat chrisma consideratum fuisse uti sacramentum permanens et Episcopus erat solus minister ordinarius confirmationis ita ut minister extraordinarius deberet — et debeat — uti chrismate ab Episcopo benedicto. Valde disputatur hac de re et in fine disceptationis, suffragatione peracta, praefertur, maiori parte suffragiorum, verbum *ordinarius*.

Quaestio movetur num non expediat adverbium *valide* suppressere. Aliquis Consultor tenet argumenta adesse sive pro sive contra, tamen ob motiva practica, forsitan expedire ut adverbium tollatur, considerata multiplicitate ministrorum extraordinariorum.

Aliqui Consultores tenent Ecclesiam potestatem habere ligandi facultatem quam sacerdos de se habet, ideoque expedire ut *valide* remaneat.

Unus Consultor animadvertit quaestionem moveri quae in textu de se non continetur quia hic affirmatur tantum quod Episcopus et presbyter, qui hac facultate donatur, confirmationem valide administrant; et nihil dicitur de aliis. Sed Relator replicat unius inclusionem exclusionem alterius esse.

Controversia adhuc per discussionem disceptata, per suffragationem dirimitur: 5 Consultores tenent ut adverbium *valide* servetur; 3 Consultores suffragium dant negativum. Tamen omnes in fine conveniunt in novam conceptum ordinationem, in qua et *valide* servatur, eiusque textus probatus est:

Confirmationis minister ordinarius est Episcopus; valide hoc sacramentum confert presbyter quoque cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Can. 44 (CIC 782, § 3)

Ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

1) *intra fines sui territorii, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;*

2) *quoad eos qui in periculo mortis versantur parochus, immo quilibet presbyter; parochus autem non impedito, alii presbytero confirmationem ministrare non licet;*

3) quoad personam de qua agitur, presbyter qui adultum baptizat, aut adultum iam valide baptizatum in plenam Ecclesiae catholicae communionem admittit.

Omnes conveniunt ut loco *sui territorii* dicatur *suae ditionis*.

Aliquis Consultor tenet casus extendi non debere praeter ad eos qui Episcopo aequiparantur, nisi in periculo mortis et valde instat ut concessionem quae in Ordine liturgico prostant in Codice non introducantur.

Contradicit Relator qui tenet non expedire ut in Codice tollatur quod iam per Ordinem liturgicum concessum est, praecise agitur de potestate iam concessa. Nos debemus — dicit idem Relator — terminologiam iuridicam curare, quia, ex. gr., nihil dicit expressio *aetas catechetica* vel verbum *adulti*. Etiam alius Consultor tenet impossibile esse concessionem revocare.

Unus Consultor petit ut potestate confirmandi donentur etiam Administratores Apostolici perdurante munere. Alter Consultor proponit ut pueri excludantur et concessio restringatur tantum ad adultos quod attinet. Hoc modo, exceptiones restringendo, magis Episcopi potestas in confirmando extollitur. De cetero necessarium non est quod pueri statim confirmationem recipiant.

Unus Consultor petit quid significet expressio quae in Ordine confirmationis habetur *ex officio sibi legitime tributo*. Respondit alius Consultor hunc textum clarificari per illum qui in *Ordine Baptismi adultorum*, nn. 44 et 46, invenitur. Disceptatio fit sat longa, cuius in fine Relator proponit ut per partes procedatur, ita ut prius suffragium detur de iis quae recenseri debeant in textu, nempe:

a) qui, de mandato Episcopi dioecesani, infantia egressos baptizat, aut iam baptizatos in plenam Ecclesiae Catholicae communionem recipit.

Unus Consultor contrarium sese declarat, quia formula proposita nimis ei videtur extensa. Placet, tamen aliis.

b) quoad nupturientes: aliquis Consultor petit ut pressius quod presbyter in hoc casu potest confirmationem administrare, quia etiam diaconus potest matrimonio assistere sed non potest hoc sacramentum conferre. Alius Consultor contrarius est quia nullum haberetur ligamen cum Episcopo. Tertius Consultor animadvertit nimis celeriter duo sacramenta saepe conferri; cui accedit quartus Consultor, qui dicit saepe saepius confirmationem tantum attestationem esse pro matrimonio contrahendo. In suffragatione duo Consultores sese abinent; uni tantum placet propositio, dum quinque contrarii sunt; ideoque propositio cadit.

c) ad periculum mortis quod attinet placet sequens textus: *quoad eos qui in periculo mortis versantur, parochus, immo quilibet presbyter.*

Omnibus consentientibus, verba schematis *parocho autem non impedito, alii presbytero confirmationem ministrare non licet* supprimuntur.

Ideoque textus canonis est:

Ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

1) *intra fines suae ditionis, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;*

2) *quoad personam de quo agitur, presbyter qui, vi officii vel mandati Episcopi dioecesani, infantia egressum baptizat aut iam baptizatum in plenam Ecclesiae Catholicae communionem admittit;*

3) *quoad eos qui in periculo mortis versantur, parochus, immo quilibet presbyter.*

Can. 45 (novus)

§ 1. *Episcopus dioecesanus, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se ipsum aut curet ut per alium Episcopum administretur; quod si adiuncta loci vel temporis id requirant, facultatem concedere potest certo presbytero vel certis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.*

§ 2. *Adiunctis id requirentibus, Episcopus itemque presbyter, vi iuris aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis, facultate confirmandi donatus, potest in singulis casibus presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare.*

Unus Consultor tenet rationem principalem in textu esse Episcopi obligationem per se vel per alios confirmationem administrandi. Iuxta Relatoris sententiam, textus clare statuit Episcopum ad presbyteros delegandi potestatem habere. Disceptatione peracta, textus qui approbatur sic sonat:

§ 1. *Episcopus dioecesanus confirmationem administret per se ipsum aut curet ut per alium Episcopum administretur; quod si necessitas requirat, facultatem concedere potest uni vel pluribus determinatis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.*

§ 2. *Gravi de causa Episcopus itemque ... potest in singulis casibus presbyteros sibi sociare ut et ipsi sacramentum administrent.*

Mutata est dictio *Ordinis confirmationis*, n. 8, quia claritate non videtur lucescere expressio *ad sacramentum ministrandum sibi sociare*.

Can. 46 (CIC 183)

§ 1. *Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parrocho praesentantur.*

§ 2. *Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta loci Ordinarii.*

Omnibus consideratis animadversionibus et disceptatione peracta, textus emendatur et probatur prout sequitur:

§ 1. *Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam fidelibus non subditis, nisi obstet expressa proprii Ordinarii prohibitio.*

§ 2. *Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, Episcopus indiget, nisi agatur de suis subditis, licentia saltem rationabiliter praesumpta loci Ordinarii.*

Can. 47 (CIC 782, §§ 4-5)

Solis fidelibus sui ritus licite confirmationem conferunt tum presbyter latini ritus qui facultate confirmandi ad normam cann. 42 et 43 gaudet tum presbyter ritus orientalis qui eadem facultate ipso iure aut concessione peculiari pollet.

Textus qui probatur est sequens: *Quivis presbyter sive latini sive orientalis ritus, debita facultate confirmationis administrandae praeditus, solis fidelibus sui ritus licite hoc sacramentum ministrat, nisi agatur de iis qui in periculo mortis versantur.*

Can. 48 (CIC 784)

Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis quoque a proprio parrocho praesentatis licite confert; eam vero in alieno territorio nemini valde confert, salvo can. 42, 2.

Post disceptationem, omnes Consultores conveniunt ut iste canon, propter materiae similitudinem, ponatur uti § 3 can. 46, cuiusque textus est: *Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens in sibi designato territorio hoc sacramentum extraneis quoque licite confert, nisi obstet eorum proprii Ordinarii vetitum; illud vero in alieno territorio nemini valide confert, salvo praescripto can. 44, 3.*

Can. 49 (CIC 785)

§ 1. *Episcopus dioecesanus obligatione tenetur curandi ut sacramentum confirmationis subditis rationabiliter petentibus conferatur.*

§ 2. *Presbyter qui hac facultate gaudet tenetur eadem uti erga eos in quorum favorem facultas concessa est.*

Placet, cum additione in § 1 *rite et ante rationabiliter*, tamen eius locus erit post can. 45.

Unus Consultor proponit ut alius adiungatur canon, qui agat de errore communi ad dubia, quae exurgere possunt, circa delegationem, tollenda. Contradicit alter Consultor quia hic non agitur de delegatione sed de administratione sacramenti.

Contrarios sese declarant etiam tertius Consultor, quia esset aliquid novi et miri, necnon reliqui Consultores, quia delegatio et potestas sacramentalis aequari nequeunt et sufficit principium generale quod in errore communi delegationis facultatis confirmandi suppletio ex parte Ecclesiae habetur. Ergo propositio non admittitur.

CAPUT II

DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO

Observationibus consideratis et disceptatione peracta, ut materiae divisio cum iis quae facta sunt pro ceteris sacramentis correspondeat, omnes conveniunt ut titulus inscribatur *De confirmandis loco De confirmationis subiecto*.

Can. 50 (CIC 786)

§ 1. *Confirmationis recipiendae capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.*

§ 2. *Ut quis licite confirmationem recipiat, nisi agatur de infante in periculo mortis versante, requiritur usu rationis polleat atque rite sit dispositus et sufficienter instructus.*

Textus § 1 placet, dempto verbo *homo*.

Ad § 2: Animadversionibus examinatis et, cum status gratiae nequeat introduci utpote non relevabilis, textus qui, post varias propositiones, probatur est sequens: *Ut quis licite confirmationem recipiat, nisi agatur de periculo mortis, requiritur, si rationis usu polleat, ut*

sit apte institutus, rite dispositus et promissiones baptismales renovare valeat.

Hoc modo Consultores tenent provideri omnibus placitis eorum qui varias emendationes postulaverunt ad conditiones pro huius sacramenti fructuosa receptione melius exprimendas.

Can. 51 (CIC 787)

Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; curent animarum pastores, praesertim parochi, ut fideles ad hoc sacramentum recipiendum rite instruantur et ad illud tempore opportuno accedant.

Attentis animadversionibus prolatis, supprimitur incisum *Licet ... ad salutem.*

Aliqui Consultores contrarii sunt quod canon in duas §§ dividatur, uti quaeritur in animadversionibus, sed tamen unus ex eis instat ut mentio curae parentum ante animarum pastores ponatur.

Textus qui denique probatur est: *Fideles tenentur obligatione ... recipiendi; curent eorum parentes, animarum pastores ... accedant.*

Can. 52

Ut sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana conexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi.

Canon supprimitur cum iam in can. 2, § 2 canonum generalium mentio de conexione huius sacramenti cum initiatione christiana habeatur (cf. p. 73) et de promissionum baptismalium renovatione in can. 50 § 2 agatur.

Can. 52 bis (CIC 788)

Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentiae decreto determinatum, nisi adsit periculum mortis aut, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat.

Multiplicitate animadversionum in consultatione prolatarum et sententiarum Consultorum discrepantia consideratis, quaestio de aetate in qua confirmatio conferenda est per suffragationem dirimitur. Maiori

parti Consultorum (4 contra 3) placuit ut indicatio aetatis — prout habetur in n. 11 *Praenotanda* Ordinis Confirmationis — non ponatur pro huius sacramenti receptione, ideoque textus probatur ut in schemate iam prostat.

CAPUT IV DE PATRINIS

Can. 53 (CIC 793)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, quantum id fieri possit, adsit confirmando patrinus.

Animadversionibus in consultatione prolatis perspectis, omnes Consultatores consentiunt ut *Ex vetustissimo* supprimatur una cum verbis *Ecclesiae more*, ideoque textus remanet: *Confirmando, quantum id fieri possit, adsit patrinus.*

Can. 54 (CIC 195)

Ut quis patrini munere valide fungatur, oportet:

- 1) *sit confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;*
- 2) *religionem profiteatur catholicam, nec sit ulla ex poenis de quibus in can. 27, n. 3 sententia irrogante vel declarante innodatus;*
- 3) *non sit pater aut mater aut coniux confirmandi;*
- 4) *sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a parocho vel a ministro designatus.*

Animadversiones ad hunc canonem prolatae praecise tendunt ad distinctionem tollendam inter condiciones validitatis et liceitatis, quae parum iuvat suppressa cognatione spirituali. Relator tenet aliquid de validitate remanere debere, secus, ex. gr., si quis, qui patrini munere fungitur, non est baptizatus, nihil agit. Sed res — respondet aliquis Consultor — nulla de se habet consequentiam.

Unus Consultor proponit ut aliqua requisita ponantur sed non dicatur neque ad validitatem neque ad liceitatem, et insuper in n. 2) supprimantur verba *ex poenis de quibus in can. 27, n. 3* sed simpliciter dicatur *ulla poena sententia ... innodatus.*

Itemque, animadversionum in consultatione prolatarum causa, supprimitur n. 3) ita ut cadit prohibitio pro parentibus et coniuge munere patrini fungendi.

Ad n. 4) loco *tutoribus* dicatur *ab eis qui horum locum tenent*.

Proponente aliquo Consultore, examini subicitur dispositio 1) can. 28 — de patrinis in baptismo — quia eidem incongruum videtur prohibitionem quae vigeat pro religiosis extendere quoque sodalibus ex. gr. Instituti sic dicti saecularis, cum hodie dictione *Institutum vitae consecratae* variae species vitae religiosae comprehendantur. Consultores censent normam omnino cadere posse, relinquendo Instituti ut res in Constitutionibus vel Regulis propriis reguletur.

Ex iis quae superius dicta sunt, supprimitur § 1 can. 57 schematis ubi precise de requisitis ad liceitatem loquebatur, cum locus amplius non esset de liceitate sermonem instituere. Et § 2 huius canonis fit § 2 canonis praecedentis. Quapropter textus completus huius canonis 54 est:

§ 1. *Ut quis patrini munere fungatur, oportet:*

1) *ut decimum sextum aetatis annum expleverit, nisi gravis causa aliud suadeat;*

2) *sit catholicus, confirmatus et SS.mum Eucharistiae Sacramentum iam receperit atque habeat intentionem hoc munus adimplendi;*

3) *nulla poena canonica per sententiam irrogantem vel declarantem sit innodatus;*

4) *sit doctrinae catholicae sufficienter instructus;*

5) *sit a confirmando eiusve parentibus vel ab eis qui horum locum tenent aut, his deficientibus, a parocho vel a ministro, designatus.*

§ 2. *Expedit ut tamquam patrinus assumatur qui idem munus in baptismo suscepit.*

Can. 55 (CIC 797)

Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus tanquam verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inhaerentes fideliter adimpleat.

Textus placet uti iacet, etiam consideratis animadversionibus in consultatione prolatis.

CAPUT V
DE COLLATAE CONFIRMATIONIS
ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 56 (CIC 798)

Parochus debet nomina confirmatorum, facta mentione ministri, parentum et patrinorum, loci et diei confirmationis collatae, in confirmatorum libro sedulo referre, itemque de collata confirmatione monere parochum loci in quo confirmati baptizati sunt, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 37 et 470 § 2 (CIC).

Placet textus sed tollatur referentia ad can. 37 et ponatur canon numero correspondens ad 470 § 2 CIC, qui est 369, § 3 *De Populo Dei*.

Can. 57 (CIC 799)

Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiore faciat.

Textus placet, una emendatione introducta: *Si parochus loci, loco Si proprius confirmati parochus.*

Can. 58 (novus)

Alius canon adiungitur de probatione collatae confirmationis per testem, sicut habetur pro baptismo (can. 39), et sicut quesitum est in animadversionibus in consultatione factis, cuius textus est:

Ad collatam confirmationem probandam, modo nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius confirmati iusiurandum si ipse confirmatus est in aetate adulta.

(M. DE NICOLÒ, Actuarius)

